



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

XVII. De ardenti amore, & vehementi affectu suscipiendi Christum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45773)

à te recedere, sed operare mecum misericorditer, sicut sæpiùs operatus es cum Sanctis tuis mirabiliter.

Quid mirum, si totus ex te ignescerem, & in me ipso deficerem, cum tu sis ignis semper ardens, & nunquam deficiens; amor corda purificans, & intellectum illuminans?

C A P U T XVII.

De ardenti amore, & vehementi affectu suscipiendi Christum.

VOX DISCIPULI.

I. **C**UM summa devotione & ardenti amore, cum toto cordis affectu & fervore desidero te Domine suscipere, quemadmodum multi Sancti, & devotæ personæ, in communicando te desideraverunt, qui tibi maximè in sanctitate vitæ placuerunt, & in ardentissimâ devotione fuerunt.

O Deus meus, amor æternus, totum bonum meum, felicitas interminabilis, cupio te suscipere cum vehementissimo desiderio, & dignissimâ reverentia, quam aliquis Sanctorum

ctorum unquam habuit, & sentire potuit.

Et licet indignus sum omnia illa sentimenta devotionis habere, tamen offero tibi totum cordis mei affectum, ac si omnia illa gratissima inflammata desideria solus haberem.

Sed & quaecunque potest pia mens concipere, & desiderare, hæc omnia tibi, cum summa veneratione & intimo favore, præbeo & offero.

Nihil opto mihi reservare, sed me ac omnia mea tibi sponte & libentissimè immolare.

Domine Deus meus, creator meus, & redemptor meus, cum tali affectu reverentia, laude & honore; cum tali gratitudine, dignitate & amore; cum tali fide, spe & puritate, te affecto hodie suscipere, sicut te suscepit & desideravit sanctissima mater tua gloriosa Virgo Maria, quando Angelo evangelizanti sibi Incarnationis mysterium, humiliter ac devotè respondit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

3. Et

3. Et sicut beatus Præcursor tuus, excellentissimus Sanctorum Joannes Baptista, in præsentia tua lætandus exultavit in gaudio Spiritus sancti, dum adhuc maternis claude- retur visceribus; & postmodum cernens inter homines Jesum ambu- lantem, valde se humilians, devoto cum affectu dicebat: Amicus autem sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi: sic & ego magnis & sacris desideriis opto inflammari, & tibi ex toto corde me ipsum præsentare.

Unde & omnium devotorum cordium jubilationes, ardentes affectus, mentales excessus, ac super- naturales illuminationes, & cœli- cas visiones tibi offero & exhibeo cum omnibus virtutibus & laudi- bus, ab omni creatura in cælo & in terra celebratis & celebrandis, pro me & omnibus mihi in oratione commendatis; quatenus ab omni- bus dignè lauderis, & in perpetuum glorificeris.

4. Accipe vota mea, Domine Deus
meus,

meus, & desideria infinitæ laudationis, ac immensæ benedictionis; quæ tibi secundum multitudinem ineffabilis magnitudinis tuæ jure debentur.

Hæc tibi reddo, & reddere desidero per singulos dies & momenta temporum; atque ad reddendum mecum tibi gratias & laudes, omnes cœlestes spiritus, & cunctos fideles tuos, precibus & affectibus invito & exoro.

5. Laudent te universi populi, tribus, & linguæ; & sanctum ac mellifluum nomen tuum, cum summa jubilatione, & ardente devotione magnificent.

Et quicumque reverenter ac devotè altissimum Sacramentum tuum celebrant, & plena fide recipiunt, gratiam & misericordiam apud te invenire mereantur, & pro me peccatore suppliciter exorent.

Cumque optata devotione, ac fruibili unione potiti fuerint, & bene consolari, ac mirificè refecti, de sacra mensa cœlesti abesserint, mei pauperis recordari dignentur.

CA.